



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Sanctificetur Nomen Tuum

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

sunt oculi tot hominum, qui pependit in cruce, qui reuixit ex morte.

Sed quia difficilis est attentio in recitatione, ideo ignari fingunt recitationes: at Ecclesia semper eas proposuit, & publice & priuatim eas exerceri iubet. Ideo Psalmi traditi sunt summo confitio compositi. Et Christus ipse formam precandi proponit, ac nominatim inquit Lucæ II. Cum oratis, dicite. Verba & recitationem eorundem præscribit, vt antea præscripserat Iohannes. Teneamus ergo recitemus formam diuino consilio traditam.

PATER NOSTER QUI ES
IN COELIS.

Id est, qui ades ubiq; , ubiq; respicis & exaudis, omnipotens conditor rerum. Sed hac parte recitata, animum tuum detinet patris appellatio. Quem Deum vocas Patrem? Et cur ita nominas? In quem aditus tibi ad eum factus est? Hic veniant in mentem Christi dicta Iohan. 14. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Et: Qui me videt, videt Patrem. Et Iohan. 16. Amen amen dico vobis, quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Hunc igitur Deum vocas Patrem, qui se patefecit misso hoc ipso filio Christo, & resuscitato, ac dato Euangelio. Et vocas ideo Patrem nostrum, quia placatus est pro filium, & hoc sacerdote perferente nostras preces recipit. Vtque me commonefaciam, addo hæc verba: Omnipotens, æternus, & verus Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti inmensa bonitate, & clamasti de filio tuo Domino nostro Iesu Christo: Hunc audite, conditor omnium rerum, & conseruator & opulentalis, cum filio tuo coæterno Domino nostro Iesu Christo, regnate tecum, & patefacto in Ierusalem, & Spiritu sancto tuo effuso in Apostolos, sapiens, bone, misericors, iudex & fortis, Pater noster qui es in coelis. Ita distinguitur inuocatio ab Ethnica, Turcica, Iudaica, & adinnetur mens de promissionibus.

SANCTIFICETVR NOMENTVM

Id est, effice vt vere agnoscaris, vt vera doceantur, per que gloria tua vere patefiat, vt te recte inuocent & colant homines. Nomen enim significat noticiam, seu agnitionem & celebrationem nominis Dei, & inuocationem. Res igitur petenda, quæ hic initio recitatur, est summum & primum bonum, de quo primum præceptum & secundum præcipue concionantur, videlicet, ut Deus recte inuocetur, doctrina vera de Deo, vox Euangelij vere & late spargatur, & recte accipiat, & multi homines vera inuocatione ac obedientia Deum celebrent.